

U X O R.

Agitur hic 1. De potestate, quam habet uxor, disponendi de bonis suis paraphernalibus tam vi Juris Romani, quam particularium consuetudinum. 2. De obligatione, quam contrahit, dum una cum marito suo se obstringit ad solvenda debita. 3. De obligatione in quibusdam casibus sequendi maritum in regiones externas; & de causis eam ab hac obligatione eximentibus. 4. Quando & in quo casu uxor marito, aut maritus uxori possit peculiare donationes facere; & an maritus semper in conscientia teneatur hæredibus suæ uxoris reddere rationem de bonis in dotem allatis, vel donatione, successione, aut alio quovis titulo ab uxore acquisitis. 5. Quænam sit mariti potestas & obligatio disponendi de bonis mobilibus uxoris. 6. An uxor, quæ publicum mercimonium exercet, obligare se possit erga alios mercatores independentem a marito. 7. De aliis mutuis officiis maritum inter & uxorem.

CASUS I. Manlia, quæ nupsit Arnaldo, illi in dotem attulit omnia bona sua, nempe unam domum, viginti jugera terræ arabilis, sex jugera vineæ, & duos contractus, quorum cujuslibet census annuus conficit centum florenos. Contracto jam matrimonio per testamentum avunculi sui acquisivit 500. florenos, & per aliam hæreditatem 150. florenos, censum annuum defuncti fratris. Potestne de his bonis disponere?

¶. Bona *dotalia* dicuntur ea, quæ uxor marito attulit ad sustinenda onera matrimonii communia, quæ in hunc effectum administrandi marito jus competit. Bona *paraphernalia*, seu ut Lex vocat *præter dotem*, sunt ea, quæ uxor in dotem non constituit marito; sive dein solum exprimat ea, quæ sub ratione dotis comprehensa velit, sive ea tantum, quæ sibi reservare cupit: omne quod reliquum est, inter paraphernalia censetur. Vi legum Romanarum potest uxor propria auctoritate pro suo arbitrio disponere de bonis paraphernalibus sine consensu mariti, etsi in ejusdem manibus ea hæreant. Si Manlia degat in loco, ubi Jus scriptum, aut consuetudo juri huic in hac re conformis viget, poterit tuta conscientia pro libitu disponere de iis bonis, quæ primum post contractum matrimonium acquisivit. Verum si Manlia, non exprimendo in contractu matrimoniali bona in dotem destinata, omnia sua bona præsentia & futura pro dote assignasset, in hoc casu, utpote non habens nec habitura bonum paraphernale, prorsus non posset disponere absque expresso consensu mariti. Si denique Manlia non moretur in loco, ubi

leges

leges Romanæ vigent, necessario conformare se debet consuetudini ibi receptæ, quæ vim legis obtinet. L. Dotis. 7. ff. De jure dot. Lib. 23. Tit. 3. Item *Hac lege*. 8. Cod. De pact. convent. Lib. 5. Tit. 14. *Pontas*.

CASUS II. Lucentius duxit Magdalenam, cui parentes pro dote dederunt domum valoris 5000. florenorum. Ipsa autem clam possidebat 500. Florenos ab avunculo in lecto mortuali decumbente dono acceptas; id quod tamen nec ulli hominum manifestaverat. Jam quæritur, utrum Magdalena contracto jam matrimonio possit pro suo arbitrio cum his 500. florenis disponere, in largitiones aut causas pias erogare, vel in restitutionem impendere, ad quam a Confessario obligabatur.

¶. Maritus habet administrationem omnium bonorum uxoris suæ, nec ulla pens eam potestas est vivente marito, ita ut nec testari possit, etiam in causas pias sine consensu mariti, nisi id sibi juris reservaverit in contractu matrimoniali. Maritus vero tenetur ad solutionem debitorum ab uxore contractorum. Positis jam his principiis, cum Magdalena sibi in contractu nuptiali non reservaverit jus disponendi de memoratis 500. florenis, de iis disponere non potest; & quia maritus tenetur solvere debita uxoris suæ, & consequenter etiam hoc debitum 500. florenorum, potest & ipsa illud expungere suo nomine, si creditorem novit, adhibita tamen debita præcautione, ne in manibus creditoris remaneat titulus solutionem altera vice exigendi a marito. Si creditor esset ignotus, & hæc summa distribueretur pauperibus, hæc distributio non esset proprie elemosyna, sed actus justitiæ commutativæ, ad quem uxor suo nomine, vel maritus nomine uxoris teneretur. *Pontas*.

NOTA. Cum secundum jus tam commune Romanum quam particulare provinciarum Germaniæ uxor non possidens bona propria immobilia, quæ nunquam marito fecit communia, non possit eo inscio contrahere debita, nisi id evidens rei domesticæ ac familiæ vel necessitas vel utilitas absente fors marito vel omnia prodigente expolcat, non tenetur etiam maritus solvere debita uxoris. Hinc sublata hac mutue obligationis vicissitudine nostris juribus conformius ad hunc casum diceretur, quod Magdalena de 500. florenis inscio, immo, & invito marito possit libere pro suo arbitrio disponere; nisi ordo charitatis præcipiat, ut hoc subsidio juvet potius maritum fors egentem quam alios; licet primum locum obtineat restitutio ex justitia facienda, vel debita sive ante matrimonium sive stante matrimonio ab ipsa contracta expungendi obligatio.

CASUS III. Christina mercatrix pannaria Dionysio debiti 500. florenorum pro emptis pannis Batavis fixo tempore solvendi syngrapham tradidit, idque ne quidem petito consen-

Z z

fu

fu mariti. Hic sciens, debitum præstito tempore non fuisse solum Diognisio, uxorem in jus vocat, opponit se solutioni, & syngrapham nullius esse valoris præterdit; eoque omnia absque suo consensu acta fuerint.

g. Regulariter loquendo uxor non potest quidpiam alienare sine consensu mariti, nec propria auctoritate se obligare sive suo nomine sive pro alio, sive per instrumentum publicum, sive sub sigillo privato. Patitur tamen exceptionem hæc regula in quibusdam casibus: dum scilicet uxor vi contractus matrimonialis possidet bona separata, quorum administrationem sibi reservavit; aut dum per sententiam judicalem separata est a marito quoad corpus & bona, vel solum quoad bona; vel denique, qui est præsens casus, dum uxor publice exercet privatum commercium separatum ac diversum a commercio mariti. Et in hoc casu oppositio mariti nullo prorsus nititur fundamento. *Pontas.*

CASUS IV. Barbara uxor Alexii, cum se cum suo marito in solidum obligasset ad solvendo unius anni spatio centum imperiales a Bernardo mutuo acceptos, defuncto marito eos ex proprio peculio solvit. Paulo post comperit, se juxta leges locales non obligatam fuisse ad hanc solutionem, Bernardumque judicialiter non potuisse eam petere. Adit ergo Bernardum, & repetit summam solutam. Potestne Barbara in foro interno & absque injustitia repetere solutum, aut in casu denegationis judicialiter agere ad condemnationem Bernardi?

g. In foro interno non habet jus repetendi hanc summam, licet post mortem mariti ex proprio peculio solutam; nec etiam a Judice pro hac repetitione admittenda est. Verum quidem est, quod Barbara ante præstitam solutionem potuisset petere in judicio absolutionem a sua obligatione, utpote nulla; facta autem solutione non amplius auditur juxta legem: *Id quod natura hereditati debetur, peti quidem non potest, solutum vero non repetitur.* In ejusmodi casibus prudentis Confessarii est consulere doctum jurisperitum. *Pontas.*

CASUS V. Aurelianus ab uxore sua discessit, ut in alia provincia sedem figeret ac negotiationem exerceret; uxor autem eum sequi renuit, licet variis modis & repetitis vicibus ad hoc instantissime a marito sollicitata.

g. Censetur, eam absque gravissimo peccato renuere haud posse, si rationes mariti patria excedendi sint justæ, & exinde commodum sit percepturus, uxor autem rationabilem causam persistendi in patria aut excusationem allegare non possit, quæ prudenti ac sapienti viro legitima ac probanda videatur. Causæ ejusmodi forent v.g. infirma valetudo, periculum per-

ver

versionis, aut defectus certi ac stabiliis domicilii, ita ut de loco in locum vagari deberet. *Pontas.*

CASUS VI. Bertha, licet in sua juventute valde laboriosa, exiguam tamen marito suo attulit dotem, ita ut rationabiliter timere possit, ne marito superstes mendicare cogatur; quod ut præcaveret, quidpiam lucri labore suo ac industria comparati sibi reservat. Maritus jamjam moriturus bonorum omnium hæredem designat suum ex fratre nepotem. Quærit jam Bertha, an lucrum sibi reservatum hæredi cedere teneatur.

g. Si dictum lucrum industriae prorsus extraordinariæ fructus sit, ac labore supererogatorio absque ullo rei domesticæ dispendio comparatum, potest illud sibi servare ad averteendam mendicitatem. C. B.

CASUS VII. Uxor sæpius surripit marito pecunias in usus domesticos, ac pro sustentatione familiæ suæ. Peccatne?

g. Si uxor sic agat; quia maritus, licet frequenter monitus, negligit providere necessitatibus familiæ suæ, non peccat; cum marito negligente, aut mox exasperato, quoties, ad monitionem uxoris pro justa domus necessitate expensæ sunt faciendæ, uxoris sit rei domesticæ curam habere. Verum si id faciat pro suo genio privato, insalutato marito, licet ad suppeditanda necessaria pro domo subsidia parato, peccat; quia sibi jus arrogat, quod ipsi minime competit. C. B.

Vide *Communio honorum. Donatio. Dos. Eleemosyna. Fucus muliebris. Ornatus muliebris.*

FINIS.



In eadem Officina libraria

F. F. VEITHIORUM

ab Anno 1774. sequentes Libri in lucem emissi fuerunt:

* * *

Dictionary *theologicum portatile*, primum Gallice editum, dein Italice versum, ac plurimis Adnotationibus, novisque Articulis locupletatum a P. Abbate *D. Prospero ab Aquila*, in regia Universitate Neapolitana Professore: nunc pluribus in locis emendatum, auctum, & Latinitate donatum. 3. Partes. 8. 1775.

— — *manuale biblicum*, ex celebratissimis potissimum Dictionariis, quæ clarissimi & probatissimi Viri *Simonius Uzetia* in Viennensi Diocesi Parochus, & *Augustinus Calmet*, Ord. S. Benedicti Abbas, concinnarunt, a *Joanne Antonio Dalmaso*, Vicetino, ex gallico idiomate Latine redditum. Editio Articulis & Adnotationibus a *P. D. Prospero de Aquila*, in reg. neapol. Univerf. S. Scripturæ Professore locupletata. 2. Partes. 8. 1776.

Habert, Ludovici, Praxis Sacramenti Pœnitentiæ; five Methodus illius utiliter administrandi. Opusculum e Gallico versum. 8. 1784.

S. Joannis Chrysofomi, Patriarchæ Constantinopolitani, de Sacerdotio Libri sex. Accessit *S. Ephraem Syri* de Sacerdotio Liber unus. Editionem curavit, præfationem, vitam *S. Joannis Chrysof.* notas & indices addidit *Antonius Khager*. 8. 1775.

Seemiller, Sebastiani, Can. Reg. Institutiones ad Interpretationem S. Scripturæ, seu Hermeneutica sacra. Accessit Commentatio de studio Linguae Hebraicæ cum Theologia conjungendo. &c. 8. 1779.

Simo-

Simonis a Virgine, Ord. Carm. Sermones sacri in Dominicis & Festa totius Anni. Opus post iteratas Gallicas Editiones in latinum Idioma conversum, & per omnia Parochorum & Concionatorum usui accommodatum, nec non Indicibus instructum. 4. Partes. 8. 1774.

Veith, Laurentii, S. T. D. Differtatio de Primatu & Infallibilitate *Romani Pontificis*. 8. 1781.

— — — *Systema Edmundi Richerii*, de ecclesiastica & politica Potestate, singulari Differtatione confutatum. 8. 1783.

Weissenbach, Josephi, D. T. de Eloquentia Patrum Libri XIII. in IX. Volumina tributi. 8. 1775.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
CATEDRA DE HISTORIA DE LA CIENCIA Y LA TECNOLOGÍA
17/11/83 MICHOFILMADO R=32

